Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26898
Copyright: Admont, Benediktinerstift

& deum habent. in deum uident. quia oculum illuminatum habent quo deus uidi
potest. & sentiunt non malo. uel secundum aliud quod ipse non est. sed ipsum in ipso
quod est. quod presens est. nec tamen id dici potest. quia ineffabile est. quia incogitabile
est. & sentitur. et non exprimitur. Ergo omne quod dicitur de deo. quia est. secundum id
dicitur. quod dici & cogitari potest. quam aliter dici non potest. et omne quod di
ci & cogitari potest minus est. et infra est. quam quod est deus. Ipsum hoc quod dicitur
deus. minus dicitur. et ipsum hoc non dicitur quod est deus. quia qui aliquid dicit. secundum aliquid
dicit. & cogitat quod dicit. & secundum quod dicit. Nominas deum et duas
syllabas formas. et totum dixisse putas quod est. Quid cogitasti.
Quod enim cogitasti. hoc et dixisti. Cogitaui inquis. quod super omnia est.
hoc quod est. Si cogitare potes quod est hoc. dicere potes. Si autem cogi
tare non potes dicere non potes. quia quod non potest cogitari. non potest dici.
Dixisti deus. Et quid est deus. Quid cogitas. aut quale cogitas. cum dicis
deus. Quid enim sonat. hoc est inspiciens uel currens siue timor. uel quid
libet aliud estimaueris ut potes de ipso. Ergo cum dicis deus. in
spicientem dicis. et contemplantem. & considerantem omnia. Et quid est hoc.
Quomodo inspicit deus. & quomodo uidet. quid est uidere ei. nisi ei esse.
Et hoc quale est. Si autem currentem intelligis. quia penetrat omnia
& apprehendit. et continet omne quod est. currere illi hoc stare est. Et
hoc quis capiat. Si uero timorem interpretaris & ipsum sub hoc nomine
cogitandum asseras. cum dicitur deus. quis explicare possit quomodo ti
mor sit deus. Quid si ideo timorem dici putes quod timetur. quomodo
timetur quod non uidetur. quomodo potest timeri quod non potest cogitari.
Et quomodo potest timeri. quod non potest sciri. Vide ergo quid dicas cum
dicis deus. aut quid cogites cum dicis deus. Creatorem inquis omnium
cogito cum dico deus qui omnia fecit. & ipse factus non est. Ergo cum
dicis deus. cogitas quod fecit omnia. Cogitas quod fecit. non cogi
tas quod est ipse qui fecit. Nondum adhuc attigisti. quod spopon